

— LXIV —

"In societatibus a laicis directis ad mutua pecuniae subsidia membris impartienda, nullam accipient functionem administrativam sine permissione episcopi".

Statuunt Patres post promulgatum primum Concilium Quebecense plenarium, denuo editum iri tum gallice tum anglice Appendicem ad Rituale Romanum ita reformatam ut cum decretis hujus Concilii conveniat. Quebecensis rogatus annuit ut grave hoc opus aggrediatur, proponendum archiepiscopis qui suffraganeos consulent.

Ultimo loco statuunt Patres ut jejunetur vigilia solemnitatis Deiparæ in cœlum assumptæ quod faustum Concilii felixque sit et ejus fructui. Marianopolitanus iterum orat ne quid intentatum relinquatur ut precibus, auxilio, invitatis clero populoque ut intersint et faveant, reddatur certior felix congressus eucharistici exitus ad majorem Dei incarnati gloriam sub sacramento delitescentis.

Oratione finis imponitur serotino cœtui.

CONGREGATIO EPISCOPORUM ULTIMA

*Kalendas novembri hora octava ante meridiem.*

Extra solitum ordinem congregatos Patres antequam processione solemni ultimam Concilii sessionem adirent, Excellentissimus Praeses splendida concione latine alloquitur. Magno affectu humilitatis gratum se exhibet pro eo non æquo pignore quo Patres recognoscere nesciunq[ue] volebant quam optime de Concilio meruerit Praeses. Valde perculsum et motu se dixit imprimis veneratione, submissione profecto, quam Jolietensis pro Patribus significabat litteris datis ipso die expirantis Concilii, quod mihi fuit pulcherrima et jucundissima mercedum, inquit. Mille autem scutata illico dono dedit Archiepiscopo Sancti-Bonifacii pro Ruthenis. Extulit Concilii labores quanta pace et cordium omnium conspiratione peractos, quanto bono inde in totam Canadensem Ecclesiam, ut a Deo speramus, inundaturo. Collegium episcorum gentilium semper egredi a tali conventu fortius, conjunctius, doctius, ferventius ad